

tatem, despectum et novissimum virorum: quod S. Petrus generatim Prophetas fecisse affirmat: « qui, inquit, de futura in vobis gratia prophetaverunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, praenunciando eas quae in Christo sunt passionis, et posteriores glorias » (1 Pet. 1, 10 seq.).

2° Dicunt adversarii auctorem secundae partis ante captivitatem vixisse, proindeque diversum esse a Zacharia. Siquidem loquitur de duobus regnis Iuda et Israel, quae post captivitatem non amplius stabant: item de Iudaeae vastatione, et Ierusalem ruina ut de rebus futuris loquitur.

Resp. Ad primum: Propheta non dicit aetate qua scribebat regna Iudae et Israel stetisse, sed Iudaeorum populum in Iuda et Israel distinguit, quod quidem etiam post captivitatem facere potuit, quemadmodum etiam alii scriptores fecerunt; multi enim ex aliis tribubus cum Iudaeis in Palaestinam reversi fuerant ita ut populus post captivitatem utrumque Hebraeorum regnum iam diu eversum repraesentaret: caeterum distinctio haec in prima quoque parte prophetiae (VIII, 13) occurrit, proindeque argumentum nimis probaret. Ad secundum respondemus ruinam Ierusalem, de qua loquitur auctor in cap. XII et XIV non esse illam, quae per Chaldaeos effecta est, quaeque aetatem Zachariae praecessit: siquidem Chaldaei nusquam hic designantur, quod fieri solet a prophetis cum de calamitate illa loquuntur, nec adversarii quidquam proferre possunt quo demonstrent de hoc eventu ibi sermonem esse. Quapropter alia vastatio urbis, et alia calamitas, quae diu post accidit, hic praedicitur, vel scilicet illa quae ab Antiocho Epiphane illata est, vel finalis illa quae per Romanos completa fuit.

R. *Malachias.*

Postremus inter prophetas est Malachias (hebr. מַלְאֲכִיָּהוּ quod *Angelum meum* significat). Hic seriem prophetarum claudit; neque enim ullus inter Hebraeos publicus propheta a Deo suscitatus est a Malachiae tempore usque ad Christi adventum. Cuius rei ratio esse potest, quod Hebraei, extrema hac aetate, experientia praeteriti temporis, et divinis flagellis edocti fideliter divinae legi adhaeserunt, nec proinde extraordinario prophetarum munere quemadmodum antea indigebant. Quis fuerit Malachias, et unde ortus ignoratur. Cum eius nomen Angelum significet, nonnulli cum Origene suspicati sunt eum non hominem fuisse sed angelum, quod

tamen falsum omnino ostenditur sive ex eo quod caeteris prophetis adnumeratur, sive ex eius sepulchro quod adhuc Hieronymi aetate exstabat, sive denique ex testimonio Ecclesiastici XLIX, 12: « *Et duodecim prophetarum ossa* pullulent de loco suo: nam corroboraverunt Iacob, et redemerunt se in fide virtutis ». Alii etiam cum Hieronymo Malachiam cum Esdra confundunt: quod tamen nullo certo fundamento asseritur. Itaque communis sententia est Malachiam distinctum a caeteris prophetam fuisse, et ordine temporis postremum, qui scilicet tempore Nehemiae vixerit et vaticinatus fuerit post secundum Nehemiae adventum in Iudaeam, scilicet post 32 annum Artaxerxis (A. C. 412-408 circiter). Suadet hoc non solum ex loco quem Malachias tenet in canone post Aggaeum et Zachariam, sed etiam ex argumento prophetiae, quod tempus posterius indicare videtur, praesertim cap. I, v. 10, et III, v. 4 ubi templum secundum iam extractum supponitur.

Brevis Malachiae prophetia (*IV capita*) acrem exhibet reprehensionem Iudaeorum ob ingratum eorum animum, nec non sacerdotum ob neglectum Dei cultum, tum vero praedicit Mosaici cultus abolitionem, et novae *oblationis mundae* institutionem, et iam proximum Christi adventum, quem praecursor Baptista praecedere debet (III, 1, 2); tunc autem fidelibus quidem felicitas et divinae gratiae copia aderit, infidelibus autem flagella et divinae ultionis severitas. Denique ad universale iudicium excurrit propheta, quod vivis coloribus describit, et ante illud Eliae prophetae adventum praecessurum nunciat (III, 15). De his Hieronymus: « Malachias, inquit, aperte, et in fine omnium prophetarum de abiectioe Israel, et vocatione gentium: Non est mihi, ait, voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. »

III. Libri Morales.

A. Liber *Iob.*

Iob inter libros morales recensemus, quia, licet historiam etiam contineat, non tamen historico stylo exaratus est, et imorales sermones praecipuam libri materiam constituunt. Liber Iob *XLII capitibus* constat: Hebraice scriptus est elegantissime, ita tamen ut

nonnulla ex Arabica lingua deprompta contineat, teste Hieronymo: qui etiam animadvertit hunc librum partim prosa partim versu exaratum esse: scilicet initium et finis, quae historica sunt (I et II, et XLII, 7-16) prosa oratione constant, reliqua vero metricae effe-
runtur.

Argumentum libri hoc est. Iob vir simplex, atque iustus, de terra Hus, quae videtur in Arabia fuisse, a Satana, Deo permittente, primum divitiis ac praediis quibus abundabat privatus est, tum etiam filiis orbatus ac denique ulcere pessimo afflictus, ipsa uxore eum irridente. Mox vero tres Iobi amici Eliphaz Themanites, Baldad Subites, et Sophar Naamathites ad eum consolandum accedunt, qui cum primo diu conticissent miseranda amici calamitate perculti, postea varia cum eo colloquia miscent. Primus ex eis lobum vehementer redarguit impatientiae, blasphemiae, et crudelitatis, eique persuadere conatur propter sua peccata eum a Deo flagellari, et ad poenitentiam hortatur: Baldad quoque lobum de impietate et superbia arguit, idemque facit Sophar, mitius tamen quam alii. Hi multa philosophice ac poetice simul de divina Iustitia, et honorum ac malorum sorte disserunt: quibus Iob respondet modo probans, modo reprehendens eorum dicta, seipsum autem a criminibus sibi impactis excusans, et doloris ac calamitatis, qua affligitur, magnitudinem deflens (III-XXXI). Tum vero quartus Iobi amicus ceteris iunior loquens inducitur, qui non secus ac ceteri eum redarguit blasphemiae ac temeritatis suamque sapientiam iacetat (XXXII-XXXVII). Multis itaque hinc inde disputatis, tandem Deus ipse quaestioni se interponit, et lobum alloquens pluribus exemplis infinitam suam sapientiam in rerum creatione et gubernatione ostendit: Iob autem se insipienter loquutum esse fatetur; mox vero amici Iobi a Deo reprehenduntur et sacrificium offerre iubentur, pro quibus Iob orare praecipitur. Denique Iob ad pristinum statum reducitur imo ampliora quam antea tum in divitiis tum in familia ei reddita sunt, qui tandem in summa senectute moritur (XXXVIII-XLII). In toto hoc libro plurima occurrunt sublimioris poeseos specimina, praeclara probitatis, patientiae ac religionis exempla, amplissima etiam scientiarum, artium ac historiae naturalis notitia, denique apertissimum de mortuorum resurrectione testimonium (XIX-25-27).

De auctore libri disputatur. Sunt qui ipsum Iob illum scripsisse

affirmant, qui Arabica lingua eum exaraverit, unde postea in Hebraicam versus fuerit: ita Origenes, Gregorius Magnus et alii nonnulli: alii vero Salomoni librum tribuunt, alii Isaiae, nec desuerunt qui Danielis esse dicerent. Verum communior sententia est libri auctorem esse Moysen. Quod quidem suadet tum summa libri antiquitas, qui ab aliis Agiographis citatur, tum styli ratio, qui in prosa oratione historiae Pentateuchi, in carminibus autem Moysi canticis similis est, tum circumstantia illa quod Moyses pluribus annis apud Madianitas, quae Arabiae gens erat, commoratus fuerit, tum praecipue communis Hebraeorum traditio a Thalmudistis confirmata, et a plerisque Christianis doctoribus recepta. Quod pertinet autem ad ipsam Iobi personam, incertum est qua aetate vixerit. Certum tamen est eum vel aequalem vel potius antiquiorem esse Moysen. Hoc enim non modo ex Hebraeorum traditione, et ex clausula libri, quae in graeca versione τὸν LXX legitur, confirmari potest, sed etiam ex internis libri characteribus apparet, qualis est ex. gr. longaevitae Iobi [vixit enim post restitutam sanitatem adhuc CXL annos (XLII, 16)], cultus veri Dei apud gentem sive ipsius Iobi sive eius amicorum, ritus sacrificia offerendi more Patriarcharum, simplex ac pastoralis vita, aliaque similia. De eius vero patria communis opinio est, lobum Idumaeum fuisse, quae gens erat cum Hebraeis coniuncta, utpote quae ab Esau fratre Iacob Patriarchae originem habebat. Notamus denique historiam Iobi in substantia quidem veram esse, et uti talem a sacris scriptoribus citari (Cfr. Ezech. XIV, 14, Tob. II, 12, Epist. Iac. V, 11), sed tamen poeticis coloribus exornatam; quod praecipue de Iobi et amicorum colloquiis intelligendum est, quae ingeniosa et elaborata poemata sunt versibus Hebraeis expressa, qua ratione nemo existimabit lobum in summis doloribus constitutum loqui voluisse, aut eius amicos eum eo disputasse (1).

B. Liber *Psalmodum*.

Sequitur praecipuus huius classis liber qui *Psalmodum* dicitur, Hebraice vero *Tehillim* תהילים. Est autem collectio hymnorum seu carminum quae a Graecis ψαλμοι dicitur sunt eo quod solerent ad sonitum instrumentorum decantari, unde etiam totum librum ψαλτηριον dixerunt, translata significatione huius vocis quae pro-

(1) De hoc et sequentibus libris videtur laudatum Ghiringhelo in opere *De libris poeticis A. F.* - Augustae Taurin. 1847-48.

prie musicum instrumentum denotat. Hae appellationes a Latinis receptae sunt. Hebraei psalmos dividunt in quinque sectiones. Prima sectio complectitur psalmos I-XLI; secunda XLII-LXXXII, tertia LXXXIII-LXXXIX; quarta XC-CVI, quinta CVII-CL. Singulae sectiones terminantur quadam clausula acclamatoria, vel precatória: scilicet primae tres sectiones habent clausulam: *fiat, fiat* Hebr. *amen, amen* אָמֵן אָמֵן; quarta sectio clauditur verbis: *et dicit omnis populus: fiat, fiat*; quinta habet in fine simplex: *alleluia*. Notandum tamen est psalorum numerationem paulisper diversam esse in textu hebraico ac in vulgata latina ita ut a psalmo X usque ad CXLVII textus hebraicus generatim vulgatam unitate praecedat (1).

Argumentum psalorum admodum varium est nec ullus servatur in collectione sive temporum sive rerum ordo. Multi ex psalmis *deprecatorii* vel *laudatorii* sunt ex. gr. psal. 42, 170 et postremi tres; alii *poenitentiales* praecipue septem illi, qui sub hoc nomine fidelibus noti sunt; alii *prophetici* in quibus futura Christi et Ecclesiae tempora praecipue praenunciuntur, quales sunt in primis ps. 2, 16, 21-109: plures etiam *historici* dici possunt ut ex. gr. ps. 77, et 104, multi etiam *didactici*, ut ex. gr. ps. 1, 118 etc. Denique quindecim psalmi (scilicet CXX-CXXXIV) dicuntur *graduales*, quia hunc titulum gerunt singuli: *canticum graduum*, Hebraice שִׁיר הַמַּעֲלֹת, quod quidem diversimode explicatum est. Rabbinii passim docent ita vocari hos psalmos, quia solerent decantari a Levitis dum conscenderent quindecim gradus scalae ad orientalem portam templi. Alii dicunt vocem Hebraicam gradum vocis, seu elationem vocis vel toni significare, qua hi psalmi canendi erant. Alii demum appellationem illam explicant de ascensu, seu reditu Hebraeorum ex captivitate in Iudaeam: quo tempore varias Iudaeorum turmas eos psalmos cantasse supponunt.

Pro argumenti varietate stylus etiam diversus est, ita ut psal-

(1) Hebraei enim psalmum nonum in duos dividunt, ita ut psalmus decimus Vulgatae sit undecimus in Hebraico; atque ita procedunt usque ad psalmum centesimum decimum tertium « *In exitu Israel de Aegypto* » qui rursus in duos dividitur ab Hebraeis ad illa verba « *non nobis Domine non nobis* » sed vicissim nonnullos ex sequentibus psalmis, scilicet 114-115, et 146-147 in unum coniungunt, ita ut tandem textus et Vulgata conveniant in tribus postremis numerandis qui sunt 148, 149, 150.

morum liber ex omnium poematum generibus exempla, eaque nobilissima et pulcherrima suppeditet, elegias recte, lyricas odas, hymnos, didactica carmina etc. unde non minus recte quam eleganter scribebat Hieronymus: « David Simonides noster, Pindarus et Alcaeus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus Christum Iyra personat, et in decachordo psalterio ab inferis excitat resurgentem. »

De auctore psalorum non levis extitit inter doctores controversia. Nonnulli enim ex antiquioribus contendebant omnium psalorum auctorem esse David, et aliarum personarum nomina puta Asaph, Eman etc. in titulis apposita non psalorum auctores sed cantores designare. Ita Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus alique, quos ex recentioribus sequuntur Bellarminus, Goldhagen et alii pauci. Contra vero alii existimant diversos esse psalorum auctores, illos scilicet quorum nomina in titulis leguntur. Ita Athanasius, Hilarius, Eusebius, Hieronymus et plerique recentiores. Haec sententia verior videtur. Imprimis enim multi psalmi antiquiores vel recentiores Davide auctorem manifeste praesseferunt, ut ex. gr. psalmus 136 « Super flumina Babylonis ». Deinde 2 Par. XXIX, 30 Ezechias rex levitis praecipit ut « laudarent Dominum sermonibus (psalmis) David, et Asaph videntis. » Denique laudati psalorum tituli eodem modo ac Davidi aliis etiam psalmos adscribunt, apposito scilicet nomine personae cum *lamed*, quod vocant, *auctoris*.

Itaque *Asapho*, quem David principem cantorum constituerat, quemque *videntem* seu prophetam Scriptura vocat (1 Par. XVI, 7, 2 Par. XXIX, 30), duodecim psalmi inscribuntur nempe ps. 49, 72-82: *filii Core* adscribuntur ps. 44, 43-48, 83, 84, 86: *Ethan* Ezrahitae ps. 88: *Eman* ps. 87: *Salomoni* ps. 71, 126: denique *Moysi* ps. 89. Ceterum longe maior psalorum pars Davidem habet auctorem, unde merito totus liber ab eo nomen accepit, et ipse David antonomastice vocatur *egregius psalles Israel* (2 Reg. XXIII, 1). Sane in ipso psalorum libro *septuaginta tres psalmi*, eius nomen praefixum habent; sed ex aliis Scripturae locis constat plures alios psalmos anonyms ab eo conscriptos fuisse, ut ex. gr. psalmum 2 (Act. XV, 25), psalmum 15 (Act. II, 25), psalmum 17 (2 Reg. XXII), psalmum 21 (Act. IV, 25), psalmum 31 (Rom. IV, 7), psalmum 68 (Rom. XI, 9), psalmos 95, 105 (1 Par. XVI, 8) et alios quosdam.

De psalorum *titulis*, in quibus non solum auctoris nomen sed etiam aliquando psalmi argumentum, et alia quoque mystica et

obscura continentur, aliqua dicemus in quaestione de *Canone*. De indole vero ac legibus poseos Hebraicae cuius praecipuum monumentum sunt psalmi sermo erit in Hermeneutica.

C. Liber *Proverbiarum*.

Proverbia, quae ab Hebraeis *mislé* appellantur, a Graecis autem *παραμύτι* sunt primus ex iis libris, qui vulgo *Sapientiales* vocantur; scilicet *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Canticum*, *Sapientia* et *Ecclesiasticus*.

Liber *Proverbiarum* argumentum continet morale non tamen continenti sermone, seu disputatione expressum, sed per breves potius sententias (משלי) seu aphorismata. Potest autem in tres partes dividi. *Prima pars* (I-IX) veluti introductio operis habenda est, et in ea plura exhibentur monita et exhortationes ad fugienda vitia, et ad excolendam sapientiam, concluditur autem sublimi ac poetico increatae sapientiae elogio. *Secunda pars* (X-XXIV) incipit cum inscriptione: *Parabolae Salomonis*, et multa exhibet proverbia de variis argumentis moralibus nullo nexu inter se coniuncta, quae plerumque per figuram antithesis procedant. In his auctor loquitur de filio sapiente et stulto, de operante et otioso, de simplici et astuto, de virtutum commodis et vitiorum incommodis, de linguae bonis ac malis effectibus, de disciplinae seu virgae necessitate et aliis huiusmodi. *Tertia pars* quae incipit a cap. XXV novam *proverbiarum* collectionem continet cum hac inscriptione: *Hae quoque parabolae Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiae regis Iuda, in fine tamen additur cap. XXX cum hac inscriptione: Verba Congregantis filii Yomentis, quae Hebraice sonant: verba Agur filii Iakoh; et denique caput XXXI cum titulo: Verba Lamuelis regis: in quo continetur celebre elogium mulieris fortis, quo clauditur *Proverbiarum* liber.*

Libri huius auctorem esse Salomonem universa Hebraeorum, et Christianorum traditio docet; hoc etiam apparet ex titulo libri, et singularum eius partium, ut supra vidimus. Quaestio movetur de duobus postremis capitibus, quae aliud nomen praeserunt: verum non desunt qui sub his nominibus ipsum Salomonem latere existimant, ratione habita significationis illorum nominum, praesertim cum etiam in sequenti libro Salomon sub nomine *Ecclesiastis* laetatur, et aliunde nemo occurrat inter prophetas vel reges Hebraeorum nomine *Agur*, vel *Lamuel*. Quamvis autem Salomon libri auctor habendus sit, non tamen ipse librum conscripsit, sed ex eius

sententiis ab aliis postea opus conflatum est, ut ex laudata inscriptione cap. XXV apparet. Scilicet Salomon multas protulit vel scripsit sententias quae ad plura millia ascendisse dicuntur 3 Reg. IV, 32 seq. (1): ex his pars aliqua, scilicet Prov. I-XXV iam ante Ezechiam scripto consignata erat; huic aliam partem addiderunt viri Ezechiae (inter quos certe aderat Isaias propheta) qui eas ex antiquioribus scriptis apud reges Iuda asservatis extraxerunt (Prov. XXV, 1). *Proverbiarum* liber eleganti ac poetico stylo, et quidem metricè exaratus est.

D. Liber *Ecclesiastis*.

Alter ex *Sapientialibus* libris vocatur *Ecclesiastes*, graece *Εκκλησιαστής*, quod nomen literaliter respondet hebraicae appellationi *Cohelath* (כֹּהֵלֶת) quae *congregantem* seu *concionatorem* significat; hoc vero nomine auctor designatur quia tamquam sapientiae praeco non unum aut alterum, sed totam fidelium congregationem alloquitur. Praecipuum libri argumentum est *mundi vanitas*, de qua multa philosophice disputat; quibus etiam plura de Divina Providentia, de virtutum sequela et de timore Domini admiscet. Principium et finis libri eius indolem et scopum satis declarant; incipit enim: « *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum et omnia vanitas* » (Ecl. I, 2) concludit autem (XII, 13 seq.): » *Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo: et cuncta quae sunt aducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit.* » De vanitate rerum humanarum in principio frequentius auctor conqueritur (I, 2, 14, 17, 18; IV, 4, 7, 16 etc.), deinceps vero rarius, donec prope libri finem querelae prorsus cessant: contra vero monita et exhortationes in principio quidem rariores sunt, deinceps crebrius occurrunt donec in fine libri totum sermonem occupant. Quod vero laetam vivendi rationem et rerum sensibilem ac modestiae limites haec contineantur, non autem Epicuraeorum more, ut rationalistae calumniantur: id enim tum ex iudicii divini frequentiori recordatione apparet, tum ex necessitate quam assertit timoris Dei, tum ex memoria mortis quam ad vitam recte agendam utilem dicit (VII, 1-3). Denique de futura vita disertum testimo-

(1) « Loquutus est quoque Salomon tria millia parabolas, et fuerant carmina eius quinque et mille. »

nium XII, 7 occurrit: ex quibus etiam apparet, iniuria prorsus fatalismi aut scepticismi notam ab adversariis libro inistam esse (1).

Auctor Ecclesiastis est Salomon. Probatur hoc ex constanti Iudaeorum traditione cui omnes Ecclesiae Patres accedunt, ut Gregorius Thaum., Hieronymus, Theodoretus etc. Confirmatur autem internis argumentis: quae enim auctor de se ipso narrat in Salomonem unice quadrant, scilicet quod fuerit *filius David*, et *rex Israel in Ierusalem* (I, 1, 12) siquidem statim post Salomonem reges Israel non amplius regnarunt in Ierusalem: item quod dicit se omnes sapientia praecessisse (ib. 16), itemque quod divitiis abundaverit, et omne genus deliciarum prae ceteris expertus fuerit (II, 4-11). Hinc communiter tradunt Iudaei Salomonem hunc librum scripsisse in senectute postquam ex peccatis respiciisset, quemadmodum Proverbiorum librum in virili aetate, et Canticum in iuventute. Si haec vera essent facile intelligeretur differentia illa styli quae inter Ecclesiastem et alia duo opera observatur, quamvis haec etiam aliunde, puta ex argumenti diversitate, repeti posset. Quae contra ab adversariis afferuntur, ut ostendant librum ab alio conscriptum fuisse, parvi momenti sunt, eaque accurate solvuntur ab Huetio op. cit. et Glaire.

E. *Canticum Canticorum.*

Canticum Canticorum (hebr. *שיר השירים* *scir hascirim*) iuxta usum loquendi Orientalium idem significat ac canticum pulcherrimum inter omnia cantica. Eius argumentum est amor inter sponsum et sponsam, qui quidem diversa ratione exprimitur ita ut totidem distincta carmina simul collecta dicenda sint, quemadmodum ex. gr. eclogae, seu bucolica Virgillii. Sponsa enim modo ut puella campestris repraesentatur, modo ut urbana, nunc ut principis filia, nunc ut vinearum custos, alias ut Sulamitis. Quodnam sit praecise horum carminum obiectum antiqua est quaestio. Non defuerunt qui de turpi amore haec intelligerent, ideoque librum reiiciendum putarent. Ita Theodorus Mopsuestenus, hac de causa in Conc. Constantinopolitano reprobatus, et nonnulli antiqui haeretici, quos damnat Philastrius in haer. 135. Cum tamen liber iste inter canonicas Scripturas semper relatus fuerit certissime tenent Iudaei omnes ac Christiani ibi de licito amore sermonem esse: in eo tamen expli-

(1) De his obiectionibus plura dicemus in C. IV in speciali Thesi de morali doctrina librorum V. T.

cando dissentiunt. Alii enim dicunt duplicem esse horum carminum sensum, *literalem* scilicet, et *mysticum*: illum quidem referri ad Salomonis nuptias cum filia regis Aegypti, quod tamen factum rursus adumbraret mysticam coniunctionem Christi cum Ecclesia: ita Bossuet et Dupin: alii obiectum immediatum cantici staterunt esse in genere honestum viri et mulieris amorem ad matrimonium ordinatum. Verum communior sententia est unum tantum esse libri sensum, figuratum tamen et poeticum, quo scilicet sub figura vel allegoria sponsi ac sponsae exprimitur amor Dei erga populum electum, sive in Veteri, sive in Novo Testamento, et praecipue hoc alterum, scilicet amor Christi erga Ecclesiam sponsam suam. Cum autem nobiliora Ecclesiae membra sint iusti, hinc cantici dicta mysticam etiam Dei unionem cum animabus iustis ac sanctis designant; praecipue vero cum anima Beatissimae Mariae Virginis quae inter omnes iustissima fuit ac sanctissima. Hinc Ecclesia in divinis officiis ipsi Beatae Mariae Virgini cantici verba passim applicat.

Auctorem Cantici esse Salomonem dubitari nequit, tum ob titulum libri qui in textu hebraico et in versione Alexandrina legitur, ubi dicitur *Canticum Canticorum Salomonis* (hebr. *שיר השירים* *לשלמה*) tum ob constantem Hebraeorum traditionem: contra quae fuit tantum coniecturas, et nullius ponderis argutias rationalistae afferunt, qui etiam in iis proponendis mire inter se discordant. (V. AA. cit. praesertim Ghiringhello).

F. *Liber Sapientiae.*

Sapientia quartum locum inter libros sapientiales occupat. Liber iste Ecclesiasti similis est: potest autem in duas partes dividi. *Prima pars* (I-IX) elogium sapientiae continet, quam auctor tum omnibus generatim, tum praecipue regibus ac principibus summo opere commendat, eosque exhortatur ad eam comparandam, oblata eis tum facilitate eam inveniendi, tum felicitate quae eius possessionem consequitur sive in praesenti, sive praecipue in futura vita: nec non denique calamitate ac miseriis quae ex sapientiae defectu oriuntur. Concluditur magna oratione Salomonis ad sapientiam a Deo impetrandam. *Secunda pars* (X-XIX) exemplis ab historia petitis tum sapientium tum insipientium confirmat pretium sapientiae, et insipientiae ignobilitatem ac incommoda. Manifestum est ex toto libri contextu sapientiam hic laudari moralem imprimis ac coe-

lestem, itemque insipientiam non meram rerum ignorantiam, sed virtutum neglectum et impietatem designare.

Liber Sapientiae non hebraice sed graece scriptum est, et quidem ea dialecto quae apud Hebraeos Hellenistas in usu fuit, quamvis stylus copiosus sit et *graecam eloquentiam redeat*, ut ait Hieronymus (praef. in Salom.).

Auctor libri a multis habitus est Salomon eo quod graece nomen Salomonis praeseferat in titulo: *Σολομωωντος*, et auctor in persona Salomonis loquatur (cap. VIII-IX). Alii e contra Sapientiae auctorem fecerunt Philonem Iudaeum, qui circa Christi aetatem vixit. Utrique tamen falluntur. Neque enim aetati Salomonis convenit graeca lingua, qua liber certissime scriptus fuit, et Iudaei illum si Salomonis esset inter Canonicas Scripturas retulissent: Philoni autem Iudaeo tribui nequit tum propter styli diversitatem inter hunc librum et Philonis quae supersunt opera, tum quia Ecclesia nunquam in canonem recepisset opus Iudaei qui diu post Christi mortem in Iudaismo permansit, quin unquam Christianae religioni nomen dederit. Fatendum est igitur auctorem libri Sapientiae ignotum esse. Probabilius tamen est eum fuisse sanctum aliquem virum ex Iudaeis Hellenistis, qui paulo post epocham Alexandri Magni floruerit, cum scilicet et graeca lingua Iudaeis Alexandrinis familiaris erat, et graeca philosophia ab eisdem celebrabatur; et ex alia parte canon Scripturarum iam clausus et signatus erat, ita ut liber iste quantumvis utilis et veneratione dignus extra canonem manserit. Recolendum enim est librum Sapientiae una cum sequenti libro Ecclesiastici inter *deutero-canonicos* numerari. Quod autem Salomonis nomen gerat in versione graeca, et sub eius nomine a Patribus passim citatus fuerit ex eo explicandum est, quod liber Sapientiae ad imitationem librorum Salomonis confectus sit, et quod plures sententiae, probabilius etiam maior libri pars ex Salomonis dictis sive per traditionem sive per antiquiora scripta acceptis conflata fuerit opera recentioris Agraphi: qua posita explicatione liber Salomoni laetiori quodam sensu tribui potest.

G. Liber Ecclesiastici.

Ecclesiasticus qui ab *Ecclesiaste* sedulo distinguendus est (1) postremum locum inter libros sapientiales occupat et quemadmo-

(1) In allegationibus ad utrumque librum distinguendum pro Ecclesiaste scribitur *Eccle.* pro Ecclesiastico autem *Eccle.*

dum Sapientia deutero-canonicus est seu in canone Hebraeorum non inveniebatur. Liber est satis prolixus (LI capita), moralis et philosophici argumenti, et Proverbiorum librum imitatur, ita tamen ut plura complectatur, et morum ac virtutum praecepta de omnibus paene rebus et pro omnibus vitae adiunctis exhibeat. Hic enim parentum et liberorum, invenum ac senum, viri et uxoris, servi ac domini officia exhibentur: hic praecipua vitia notantur, superbia, luxuria, vindictae appetitus, immodicus divitiarum amor; virtutes autem tum publicae tum domesticae laudantur, easque colendi ratio pro variis circumstantiis sapientissime indicatur (1). Postrema pars inde a capite XLIV quae incipit: « *Laudemus viros gloriosos etc.* » pulcherrimum continet encomium Patriarcharum, Prophetarum aliorumque sanctorum hominum, et concluditur cap. LI sublimes, ac piissimas oratione, qua auctor Deum laudat, eique gratias pro acceptis beneficiis refert, quae incipit illis verbis: « *Confitebor tibi Domine rex et collaudabo te Deum salvatorem meum* » quam orationem Ecclesia de Sanctis Virginibus ac Martyribus in divinis officiis legere consuevit. Hinc est quod vix ullus in tota Scriptura occurrat liber, cuius lectio maiorem legentibus afferat utilitatem quam liber Ecclesiastici.

Aliquando Ecclesiasticus sub nomine Salomonis citatur propter quamdam cum libris Salomonis similitudinem, ut monet Augustinus in lib. XVII de civ. Dei cap. 20. Certum tamen est eius auctorem non esse Salomonem, ut Augustinus ibidem et cum eo reliqui fere Doctores fatentur, sed Iesum quemdam filium Sirach Hierosolymitanum. Hoc enim manifestum est ex cap. L, 29 ubi legitur: « Doctrinam sapientiae et disciplinae scripsit in codice isto Iesus filius Sirach Hierosolymita, qui renovavit sapientiam de corde suo » et cap. LI, 1: « Oratio Iesu filii Sirach. » Appellatio vero *Ecclesiasticus*

(1) Speciminis causa legantur sequentia loca pulcherrima, et utilissima. De tribulatione et tentatione (II, 1-13); de vero et falso amico (VI, 6-17, IX, 14 seqq. XXII, 25 seqq. XXXVII, 1-7); de filiorum educatione (XXX, 1-13, XVI, 1-5); pro pueris et adolescentibus (XXXVII, 10 seqq. III, 2-18); de aegrotis, et de medicorum officio (XXXVIII, 1-15); de sapiente et stulto (XXI, 16-31, XXII, 7-18, XXXVII, 22-29); de muliere bona, et mala (XXV, 17-36, XXVI, 1-24); de officiis rectorum, et praesidum (XXXII, 1 seqq.); de ratione assidendi convivii principum (XXXI, 12 seqq.); de consiliario vero et falso (XXXVII, 7-19).

libro data est ad imitationem Ecclesiasticus Salomonis et ob similem rationem. Graeci vero librum vocarunt *Sapientiam Sirach* Σοφία Σιραχ, qui titulus confirmat quae diximus de libri auctore.

Ecclesiasticus hebraice scriptus fuit, quemadmodum stylus versionis indicat, et prologus versioni graecae praefixus expresse affirmat: praeterea Hieronymus (Praef. in lib. Salomonis) ipsum textum hebraicum vidit Ecclesiastici et Cantico adiunctum sub titulo: *Parabola*. Hic vero textus iamdiu deperditus est: superest vero et ad instar textus habetur graeca libri versio, quam nepos auctoris confecit, ut ex eius prologo discimus. Si quaeratur auctoris ac libri aetas indicium suppeditat ipse auctor innuens se scripsisse, cum Simon iustus Oniae filius summum sacerdotium teneret (L, 1-22); quoniam vero duo occurrunt huius nominis summi pontifices, alter in principio, alter vero in fine tertii ante Christum saeculi, dubitari potest ad utrius epocham liber referendus sit; verum ad Simonem primum esse referendum apparet ex eo quod nepos auctoris in cit. prologo dicat se librum graece vertisse temporibus Ptolemaei Evergetis regis (A. C. 247-221) qui regnavit ante pontificatum Simonis secundi (A. C. 219-199). Latina Ecclesiastici versio, quemadmodum et Sapientiae, quam in Vulgata habemus, non est Hieronymi sed eo longe antiquior, ut in sequenti capite ostendemus. Notandum est versionem hanc in ordine sententiarum aliquantam a Graeca discrepare praesertim in capp. XXX-XXXVI.

Haec de libris Pentateucho posterioribus tum universim tum singillatim sumptis.

ARTICULUS III.

DE PENTATEUCHI GENUINITATE

Aggredimur nunc gravissimam de Pentateuchi authenticitate quaestionem, quod opus, quemadmodum inter sacros libros V. T. praecipuum est, et reliquorum veluti basis ac fundamentum, ita ab Religiosis hostibus prae ceteris impugnatur. Pentateuchus continet quinque Moysis libros, quos Hebraei uno vocabulo vocant *Thorah* תורה seu *Legem*. Initio quidem nulla videtur facta fuisse operis divisio, dein vero ab Hebraeis in quinque partes, seu libros, divi-

sum est, qui cum titulis carerent ab Hebraeis ex primis uniuscuiusque libri verbis appellati sunt: scilicet primus Liber appellatus est *Beresith* בראשית idest, *in principio*; secundus *Veelleh se-moth* שמות ואלה idest, *et haec sunt nomina*; tertius dicitur est *Vajikra* ויקרא seu, *et vocavit*; quartus *Vajiedabber* וידבר seu, *et locutus est*; quintus *Elleh Haddavarim* אלה הדברים seu, *haec sunt verba*. Graeci vero eosdem libros distinxerunt quibusdam nominibus quae singulorum materiam designant, scilicet primus liber vocatus est Γενεσις, seu *origo*, vel *generatio*, quia mundi et hominum originem narrat, secundus dicitur est Εξοδος, seu *exitus*, quia Iudaeorum egressum ex Aegypto refert, tertius Λευιτικον, seu *Leviticum*, quia de Levitarum officiiis pertractat, quartus Αριθμοι, idest *Numeri*, quia varias numerationes seu census Hebraeorum continet, quintus denique liber dicitur est Δευτερονομιον, idest, *secunda lex*, vel *iteratio legis*, quia legis repetitionem et veluti recapitulationem exhibet. Integrum autem opus appellatum est Πεντατευχος; seu *opus quinque librorum*. Latini has denominationes retinuerunt et opus vocant *Pentateuchum*, singulos autem libros: *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, et *Deuteronomium*.

Praecipuum horum librorum argumentum est Legis per Moysen latae expositio, ita tamen ut simul cum lege historia narretur primum humani generis universim, tum gentis Hebraeorum specialim usque ad Moysi mortem. *Genesis* itaque incipit a mundi creatione, et primis capitibus breviter narrat rerum omnium originem a Deo creatore, protoparentum creationem, felicitatem, lapsum, poenam ipsi universoque humano generi irrogatam, simulque futuri reparatoris promissionem (I-III). Tum breviter narrat hominum propagationem, generalem corruptionem, et immisum a Deo Diluvium (IV-VIII): deinde narrata nova hominum propagatione ex superstita familia Noe, eorumque in varias stirpes ac gentes divisione (IX-XI) statim ad hebraicae gentis historiam transit, referens fustori stylo gesta Abraham Hebraeorum stiptitis, eiusque filiorum ac nepotum Isaac, Iacob et duodecim eius filiorum unde ortae duodecim tribus; familiae Iacobi adventum in Aegyptum, eorumque in Aegypto commorationem usque ad mortem Patriarchae Ioseph (XII-I). Quare totus hic liber historicus est, et reliquae historiae non solum sacrae sed etiam profanae fundamenta ac veluti semina complectitur.